

B. 221.

053

LEGATIO GALLICANA

DE EXPEDITIONE ITALICA
Regis Francorum Caroli VIII.

AD PONTIFICEM ROMANVM, REGEM
Neapolitanum, Principes ac Liberas Civitates Italie.

CVM EDICTO IPSIVS REGIS DE BELLO
Turcis post liberatam Italiam inferendo, & recuperando
Orientis Imperio.

In lucem retraacta atque edita ex Bibliotheca

V. AMPLISS. DANIELIS SCHNEIDERI
IC. & Cancellarii Ducalis Megalopolitani Consilia-
riique Saxonici Vinariensis.



HANOVIAE
Apud Heredes Ioh. Aubrii.

M. D. C. XIII.

LEGATO
GALLICANA

Quid me diu impudentius contueris?
Paruo vendor ære; me, si sapis, emitto,
Diuitias diligenter legentibus afferro immodicas.
Superat namq[ue] eloquentia Cræsi thesauros Midag[ue] dimitas.

AD LECTOREM


ORationes per pulcas videbis, Lector, cum sententiarum grauitate con-
spicuas, tum verborum ornatu dicendique acrimonia mira fulgentes,
quibus in primis inest persuadendi dexteritas, deterrendi horror, & accom-
modata seueritas. Facilitatem præterea inuenies tintam rhetorico nito-
re, & orandi genus, priscam eloquentiam redolens. Quas quo diligentius
crebriusque legeris, tanto plus te fructus confidas reportaturum. Vale.



HANOVIA

Georgius Henricus von Dreyse

M DC XLI



ORATIO
HABITA AD VENETOS A MAGNIFICIS CAROLI,
*Francorum Regis Oratoribus, Anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto,
die quinta Aprilis.*

TEREMVR MAGNA VERBORVM
ambage , quanta benevolentia & amore
Christianissimus Francorum Rex hunc Hor-
rentissimum Statum prosequeretur , si non
constaret & palam esset, quam arctis amici-
tiae vinculis tenerisque federibus , ab anti-
quis Galliarum Reges, Senatusque Venetus
fuissent coniuncti.

Ea omnia modernus Rex non modo studuit conseruare, sed
amplissime adaugere. Eum se semper in conseruatione digni-
tatis, diffusione nominis, promotione decoris & utilitate huius
splendidissimae Republicæ præbuit, ut melior amicus , fidelior
focius à vobis non dico expeti , sed ne optari quidem posset.
Vestra in eum & antecessores merita tam sunt munifica , vt
prius dies me deficiat , quam minimam eorum partem enum-
erem. Sed iam omnium maximum præbere poteritis, & vel-
levos pro vestra integritate, Serenitas sua non diffidit.

LE G A T I O

4

Quam enim arroganter, quam nefarie & iniuste Arragonum Reges, Neapolitanum regnum occupauerint, minime vos fugit, vputa qui omnia quæ industria, ingenio, sagacitate & studio sciri posflunt, noueritis; Cum eam rem volatilis fama toto late diffuderit vniuerso. Adeius recuperationem Rex noster non dissimulanter aspirat, & cum abunde æquitas & iusticia suffragentur, vicensse se credit, si vos tales erga suam serenitatem exhibueritis, quales variis locis & temporibus maiores sui, vestros antecessores sœpe sunt experti; & qualem se maiestas sua erga hunc statum exhibuit multoties, præbereque voluisse, si casu ita ferente similia vel maiora à serenitate sua petiuerissetis. Consilium imprimis à vobis (in re tam ardua) rogar, dehinc fœderis opem, auxiliumque vestrū implorat, vt ei commeatum præbeat, militum robore augeatis vires, & sumtibus tam longinquæ expeditioni necessariis adiuetis. Quæ si feceritis (vt sua sibi Maiestas indubitanter persuaderet iusque amicitiae expostulat,) & optimus maximus eum iustissimi desiderii sui effecerit compotem, sentietis, (diis bene iuantibus) maximo vestro cum commodo & decoro, quam sint Galliarum Reges in colendis amicitiis fideles, conseruandis fœderibus tenaces, quam, inquam, fint acceptorum beneficiorum memores.

R E S P O N S I O

Venetorum adeandem.

SVPER VACANEVM esset si explicare niteremur, quanta pietate & obseruantia Christianissimos Francorum Reges maiores nostri semper prosecuti sint, & nos in hunc usque diem prosequimur; cum omnia tam late, tam copiose & eleganter Magnificentia vestra expresserit, vt nihil nobis videatur reliquise loci, quo nunquam desitaram huius status deuotionem in Christianissimos Reges recenseremus. Pauca tamen à vobis dicta & à nobis dicenda perstrinxisse iuuabit, & uno expli-
casse verbo sat erit. Obseruantiam, quam antecessores nostri ad
nos

GALLICANA.

nos transfigurerunt nedium eam esse, quam accepimus. Sed eo creuisse, ut addi plane possit nihil: ob id à diis precabimur, ut ea ad ultima seculi tempora conseruetur illæsa; nos quantum humano consilio fieri poterit, non erimus contenti, si nostris temporibus quam sanctissime custodierimus, sed posteris eam nostris, omni cura commendabimus colendam, precamurque istam nostram deuotionem, quæ talis est, ut verbis non potest exprimi. Sed vix ab ingeniosissimo imaginari regiae serenitati, nostro nomine declaretur. Sed quod serenitas sua à nobis consilium, auxilia, & opem expertis, labentes alacresque præstaremus, si id sine nostræ estimationis lafione posset fieri. Nam sicut inique ageremus si Serenitati regiae in iustissimis suis expeditionibus (ut hanc quoque fore non inficiamur) decessemus: Sic iniquius nos agere quilibet sanæ mentis necessario dixerit, si pro conseruatione viiis foederis, aliud laderemus nō minus vetustum, pium aut sanctum, quorum alterum non esset grauitatis Venetæ, alterum perfidiae immensa. Arragonum enim Regum amplissima merita in hunc nostrum statum & maiores nostros, non est, qui ignoret. Talia namque sunt, ut nulla temporis annositas ea sit deletura. Omissio namque quoties cum Pisaniis, Genuensibusque, perpetuis Veneti nominis hostibus, terra mariq; arma contulerint, quas de eis reportauerint viætorias, vti contuderint vires, ita quod eorum inimicitiae in æuum non sunt nobis extimescendæ, vnum pro consummata amicitia facinus, sat erit enumerasse:

Non multa ante tempora, cum perfidus Turcus tanto tumultu & horrore ingrueret, extructissima classe, maximis copiis, totæ immineret Europæ, præcipue statui nostro, (quem scutum & antemurale esse Christianæ religionis certum est) post multas preces, quibus fere vniuersos Christianitatis principes nequam contudimus, opem implorantes, solas nobis sensimus Arragonum vires adesse, quibus nedium à nobis, sed ab vniuerso Christianorum orbis ingens periculum propulimus. Quæ eorum merita nunquam apud nos intermorientur, vtinam aliis Christianis Principibus essent tam accepta; quam suere frugifera. Allehti itaque tam pulcherrimo beneficio, sive Serenitati nos in æuum addiximus, indissolubilique colligimus foederis nexus; quod tur-

piter deserere aut petulanter interrumpere non modo esset turpe, sed flagitiosum & sceleratum; ad quam labi ingratitudinem non velle nos maiestatem regiam, non simus incerti. Ceterum ut clare perspiciat Serenit. sua nos eos esse, qui nunquam defuimus confederatis, nec defuturi sumus; non nos recentia & speciosa Arragonum merita, non amplissima Francorum Regum comae morata beneficia & reintegratae preces ad violationem alterius compellent, quiete perfruemur, tacitique tam dubiae rei præstolabimur euentum, quem talem optamus, ut neutri ob sit & officiat.

Quod si vllæ possent pacis conditiones labore inueniri, aut industria excogitari, non nos pigebit subire pericula, perferre damna, facere impensas, quo tam pernitosum bellum aut sufferiri possit penitus, aut si nequit, saltem differri, non dubitantes Seren. suam istis nostris pollicitationibus contentissimam fore, nec preces alternaturam; cui nos cupimus quam diligentissime commendari.

*Eorundem Oratio ad Ludouicum Sfortia,
Ducem Mediolanensem.*

die 15. April.

VENimus ad te Ludow. Sfortia, dux illustris, à Christianissimo Francorum Rege missi legati, non pro amicitia aut fide (quæ certo Rex noster, scit sibi affutura) sollicitaturi, sed in tantum rerum tanquam prægnantium mole, tuam sententiam excepturi. Nam sicut es huius rei consultor, promotor & origo; sic non iniuste te conuenimus, rogantes principia huius expeditionis discernas, mediis consulas, fini præuideas. Nihil enim Rex noster te inuito incipiet aut abnuente attentabit; Omnia tuo nutu administrabuntur; nedum copiæ ipsarumque duces iussibus tuis parebunt. Sed & ipsa maiestas regia consiliis defret, voluntati morem geret. Proin rumpe moras, iubeque, si ita censes, legiones hyemalibus (iam instantे vere) educi. Certes non tyrones, colones aut lixas, sed quemlibet expertissimum veterem

G A L L I C A N A.

7

veteranorum gentis Celtiberiae Hispaniarumque, tum florē Gallicarum potissimum equitum, peditum Alamannorum robur exercitium; quibus mors fortiter quæsita ludibrio est, nullius periculi terror, non laboris satietas, non algoris æstusque tedium: Non, inquam, discriminis alicuius æstimatio, his ipsis, non animus aggrediendis in rebus, aut consilium in gerendis deest. Fides quam sit ipsis singularis, præcipua & impolluta ab antiquo perspectissimum est, ita ut si solo eo præsidio fulciretur, viciſſe īā dices. Quid fieri, si vniuersitas copias, si mentem eandem, si idem videris placitum & conforme in omnibus consilium? Non Alpium saltuosi vertices, non urbium extructissima mœnia, non turres nubibus imminentes, non aggerum moles, non aries natura & arte munitæ, non ingeniosa machinarum inuentio aut horridus bombardarum fragor, ipsorum conatus repellat & obſistet voluntati. Quare victor, quoquaque voles, cum invicto ibis exercitu. Nec dico Neapolitanus Rex poterit resistere, sed ne vniuerſa non modo Aufonię, sed Europeę vires in unum collatae oblugetabuntur. Tu pro tua integritate & singulari prudentia regem (quaer tuæ se submittit fidei) à perfidia tutum reddes, & senties cum non tam sibi, quam tibi & Sforciadis omnibus, viciſſe.

E I V S D E M R E S P O N S I O.

NIl vñquam audiuimus libentius, nil voluptuosius potuisse euenire aut iucundius, quam quod Regia maiestas (cuius nos non profitemur amicum, sed clientulum) tantum in nobis deposita spei, tantum fiduciae & fidei. Faciemus (si quicquam in terra fidei est) ne serenitatem suam concepta de nobis fallat opinio, pulchrumq; videbitur exuperare magnitudine operum suam sponte gliscentem opinionem, posterisq; hæc res erit monimento liberaliter creditæ, fideliterq; inuenient fidei. Legiones quam primū traiiciendas censemus, quas tantæ esse eminentiæ tantæque virtutis Regi gratulamur, & lætamur nobis. Negocium enim et si regia Seren. sit proprium, nō tamen minus ob singularem obseruatiām inclinationemq; non vulgarem, nostrum iudicamus; vellemusque fausto fine transfigi, quod maxime celeritate posse fieri

arbitramur. In ambiguis namq; rebus quæque fortissima consilia, tutissima esse consueuerunt. Ad hoc maior ignorantum rerum terror, maior insuper animus inferentis, quam propulsantis iniuriam; Præterea fama multorum sæpe bellorum consueuit esse gubernatrix: Sic & nobis non diffidimus posse eueniare, priusquam hostis militum numerum, exercitus amplitudinem rescuerit; fama omnia adaugebit, gemina ex singulis faciens; Prius se sentiet viciisse, quam applicuisse in regnum: Singula salubrius eueniunt, quam aut sperare potest Rex, aut aliquis animo percipere. Hoc enim nobis pauci tyranni, & regnicularum feruens desiderium libertatis, auidaque voluntas' excutiendi iugi suggerunt. Nos Seren. Regiæ non deerimus. Habita namque fides plerunque ipsam obligat fidem. En virtuem hanc, & municipia Maiestatis sua arbitrio expositas; gazæ & quicquid nobis pecuniarum est; nec purpurati eum comitabuntur nostri, sed hoc nostrum corpus mille subiictere periculis & certæ morti exponere in animo est, ob id non tam in nostra commoda quam in sua decora nos sentiet anhelantes.

Praefatorum Legatorum Oratio ad Bononiens.
die 26. April.

A Beuntibus nobis hæc ab iniustissimo nostro Rege mandata sunt iniuncta, ut cum alias Ausoniæ populos, potentatus, & vrbes accederemus, tum vos, potentissimi viri Bononienses, denunciatur Regiæ Maiestatis instituta, quæ vendicare sibi Neapolitanum regnum (quod aucto hæreditarioque iure ad eum spectat, & iniuste ab Arragoniæ possiderur Regibus) in animo habet. Et cum ad eam rem peragendam fautoribus amicisque egeat, vos dignos censuit, quos tali munere honestaret, non dubitans, quin ipsius perspecta benevolentia, clementia, & pietate vestra sponte in ipsius effets amicitiam concessuri, potius experturi humanitatem animique sui placiditatem, quam consternationem & iram. Præstat itaque discernere viri Senatorii, à quo mortalium amicitia vestra expetatur, & amplum vobis est simul & speciosum, roga-

GALLICANA.

rogare eum qui cogere cuncta possit. Ob id si vultis consultum rebus vestris, suademus amice, ei vos feedere coniungite, qui amicus solo nutu eleuare vos ultra alios Latii populos poterit, aut ira percitus in perpetuum sufferre & deprimere. Vtrum iutorum experiri malueritis iam in vestra potestate est; Paulo post in offerentis voluntate erit. Proin dum tempus est vobis consilite. Prater uolat namq; persæpe occasio, quam paulo post nequic quam frustra omissam quæretis: Nos vobis volentibus certam & perpetuam pacem damus, quam si libidine, ignavia, aut negligencia contemseritis, omnia nunciamus aduersa; iamque igne, hanc vestram ornatissimam urbem, mucrone, ciues videbitis casueros, iure belli vestros ante oculos, in coniuges liberosque saquietur; quæ si mente perceperitis, non immerito animus exhorrescat, incertumque euentum certæ stabiliq; tranquillitat non anteficeret.

RESPONSI^{ON}A

Bononiensium.

Audiuiimus mandatorum vestrorum summam, quæ, ni magnifica vestræ gentiis verba, animi plus elati quam vtiles, nobis essent, non immerito terrorem incuterent. Ita enim locuti estis, ac si urbem hanc nosq; omnes in vestra haberetis potestate, eaq; iam in nos decreuistis, quæ in captiis hostibus exerceri solent; Urbis excidium, ciuium interitum, matronarum infantiumq; caſus oculis subiecistiſ nostris; quæ si omnia essent perferenda nobis, nostrisque subeunda, nō tamen deceret viros in armis & ad armataſ, fumosis verbis deterriſ. Sic namq; temere & imprudenter ageremus recusare regiæ Seren. amicitiam & fauorem, si eum, decentibus nobis verbis, detulisset. Sic non iniuste quilibet fatebitur nos agere, superbi Domini, insolentis socii, tam illicitis mandatis, non parere. Licebit namq; arroganter loquentibus, nō meticuloſe respondere. **Quis Regi, vobis, aut genti Gallorum huius nostræ urbis tribuit imperium? quis ei portas aperuit? quis intra pomarium accepit?** quæ sicut non facta necessario dixeritis: sic subire ea graue vobis erit, difficile, & infaustum. Dulcis

B

namque libertas est, nec, nisi ab insano, deferitur; Eam nemo bonus nisi cum vita simul amisit; quæ maiorum nostrorum sanguine parta, nostro conseruata. Non verbis vestris, sed ne quidem opera auferetur. Quod si experiri volueritis, intelligetis (vestro infelici fato) nobis & spiritus & animos esse, dignos viris Romanis (à quibus hæc vrbs defluxit) dignos gentis Italæ, dignos, dico, at auorum nostrorum claritudine. Nec libertas nobis spirantibus periclitabitur, nec incenia, aggeres, aut propugnacula huius ciuitatis, iniunctæ dextræ ferrum præcutum, nos à vobis periclitari sineat. Quare si amice venietis, transitus per municipia nostra minime (bene soluentibus) denegabitur: Quod si in tumida hac vestra superbia perstiteritis, & amicos & inimicos, virum elegeritis, perferre vos possumus.

*Ad Herculem Estensem Ferrarie Duce
m Oratio, habita*

4. Maii.

Fit partim natura, partim instinctu fidereo, partim præcedentibus officiorum meritis, ut homo homini plus inclinetur; Quorum neutrum inter te, Hercules Estenis, Christianissimum que Francorum Regem, desiderari potest. Virtuosus namque plereque virtuoso coniungitur; Et morum conformitas præcipuum & tenacissimum amicitia confueuit vinculum esse; quæ sicut Lælium Scipioni, Pomponium Graccho; sic Herculem Carolo iunxit. In utroque enim enitet animi magnitudo; singulare pietas, insignis comitas, præcipua sanctimonia, aurea æquitas, liberalitas, prudenteria, prouidentia. Et virtus merito extollenda, quæ tanta vos firmitate colligarunt, ut vestro seculo non possit dissoluiri. Quod si ultra ista merita desideras, nescio an quam esse, aut extare possunt maiora, quæ inter vos ambos maioresque vestros queunt recenserri. Quæ sicut notissima & cognita omnibus populis, quando annales omnes ipsis sunt referti, prætereo. Ceterum ad rem veniendo, hoc Regis nostri nomine à te

te fogamus, velis Seren. suæ in hac sua iustissima expeditioñe, auxilio contra sæuissimum tyrannum esse, ut eum deturbare, vendicare sibi regnum suum possit. Sua namque sæuitia & crudelitas & Deo & hominibus est inuisa, qui Christianissimum Regem excitauit, ut multam irroget, ut sua iustitia violentissimam tyranum dem eradicet & extirpet. Cui si pro virili affueris, non te officio & beneficio priorem certauisse, pœnitentia.

EIVS RESPONSIO.

NON ignoramus, quæ familiaritas vel potius necessitudo inter priscos Francorum Reges, nostrosque maiores fuerit. A quorum instituto, sicut in cæteris, non degenerauimus; sic in hac re haudquam inferiores reputabimur. Regiæ maiestati cuncta nostra patebunt. Nec nos in officiis erga eam erimus; omnia haud cunctanter subibimus, quæ iusserit ipse, aut quæ grata ei fore intellexerimus; quæ si nos animaduerterit verbosius iactantē, quam virilius exequentem, filius (quem ob fidem suæ maiestati dedimus) perfidiæ pœnas luet; is suo suppicio nostrum delictum expiabit. Nec nos deprecamur quo minus in nos fiat animaduersio; quod si constantes nos viderit, firmos, & fideles, ut certo faciet, credimus non vanas suas pollicitationes futuras.

*Ad Franciscum Gonzaga Marchionem
Mantuanum, die 12. Mart.*

NON à quo fert amico Rex noster, Francisce Gonzaga, Princeps illustris, ita ferre di spē atricem rerum humanarum fortunam, prius cum tibi oneri quam vñi esse, prius petere quam cōfere beneficium. Sed cum hanc quoq; nouit amicitię speciē esse, vt confidenter ab amicis res quæq; necessariæ expertantur, cā hoc tempore amplecti nō erubescit, rogatq; cum anni tibi sint militiæ habiles, cōpacta membra, corpus solidū, statura iusta, & à militari cultu nō abhorrens; in primis experientia bellica & rei militaris nō mediocris cognitio, velis ipsius auspicio contra Neapolitanum

subditium Regem militare. Quæ res cū honori, tum vtilitati tibi erit non modicæ. & enim menstruum, & tibi, & tuis ex ærario numerabitur. Et si Optimus Max. optatum finem rebus impo-
suerit, & te, tuosq; ipses alta & indubia manet. Experiere namque
quam sint Galliarum Reges in eos, qui eorum inseguuntur fidem
liberales, aduersis in rebus constantes, secundis propiti.

E IV S D E M R E S P O N S I O.

Serie vestra legationis intellecta optaremus posse desideriis Regiæ Maiest: nos condescendere & obtemperare voluntati. Sed cum fides in primis sit exoluenda, eā Venetiis Senatoribus obstrictam, illæsam præstare conuenit. Annuam namque operam auro à nobis emerunt. Quare nō poterimus simul Regiæ Maiest: morem gerere & satisfacere pollicitationibus, quod si Regia dignitas eos antevertisset, inclinatores suissemus ipsi gratuitam, quam illis mercenariam operam exhibere.

O r a t o r u m R e g i o r u m a d F l o r e n t i n o s

21. Maii.

Illuxerunt tandem optati dies quibus in uitissimus Francorum Rex amorem pierat eq; in vos suam, vos, fidem & obseruantia in maiestatem suam, declarare poteritis. Quadragefimus namque fere circumagit annus, cum antecessor sua Seren. in recuperationem regni sui aspiraret; vos memores, quod Galliarum Reges, hanc vestram pulcherrimam urbem (qua à finitimiis populiis deleta & diruta fuit) suis opibus restaurauit, & semotis rudeibus condiderunt à nouo. Ita ipsi affuistis, vt vestro auxilio & potissima opera, ficticium Regem, regno eiiceret. Quam suam & vestram victoriam tam claram, cum Papa Pius ingenio plus quam viribus de honestasset, ita quod non fugienti, sed cedenti similis, residuas copias in Galliam traducere cogeretur; non modo eum spes sua, sed & vos vestra fraudauit; idq; effecit, vt regia Maiest: yobis bene merentibus nihil, (quod tamen maxime cupie-

GALLICANA.

13

cupiebat) pro tali munere talique merito boni refunderet; quod ne medio quidem tempore ob ingentem locorum distantiam, maximam viarum intercedinem fieri potuit. Sed non tam remouisse, quam distulisse vobis iniqua sors tam iustam mercedem videri potest. Quod enim Rex Carolus ei expeditioni se accingat, certe vobis constare scimus, ut puto, qui millies ex literis ciuium vestrorum (in Emporiis Galliae commorantium) contra eum exercitum, collectos milites, collegeritis. Et cum iam copias credamus alpes exuperasse, facile coniicietis, eas quam primum vos apud futuras, quibus sibi regnum, vobis dominium Etruria est vendicaturus. Quare non tam ipsi opem feretis, quam vobis ipsis consuleris. Nam si non pudor, certe tardium vobis debet irrepere, quod vos iniuriis Pontifices, aliq; mollissimi Sacerdotes (qui rebus praesunt) affecerint, quam impie lacestuerint, terruerint sape, quibus merito vos terrori essetis. Ob id exergiscimini, & arma capestite, regi regnum, vobis non solum immunitatem & perpetuam libertatem, sed maioris partis Italae dominium partiri.

RESPONSO

Florentinorum.

FVir huic ordinis acceptissimum & iucundum auditu, quod tandem (etsi serius quam voluimus) Christianis Rex è somno fit experctus; quod id petere intendit, quod omni iure Pontificio, Cæsareo & civili, ad eum spectat. Nos antecessoribus suis non defuimus, nec ipsi, quoad poterimus, defuturi sumus. Hoc enim merita (qua partim recensuistis) expostulant, partim ingruentia pericula quibus subfuiimus, & quorum speramus finem, nobis persuadent. Post eum namque diem (quem expressisti copiose) quo Regiae Ser. contulimus quicquid virium nobis & pecuniae fuit, ut leuius à solio Ferdinandum detruderet, nihil nobis in tota Italia amicum fuit, nihil non aduersum. Pontifices namque omnes, nos eos deseruisse, exteræ adhæsisse nationi, questi sunt. Hoc Rex ipse, hoc Duces, vrbes, Potentatus & po-

B 3

LEGATIO

puli. Cuilibet inuisum fuit Florentium nomen, omnes in nostram pernitiem anhelarunt: quilibet gloriae sibi ascribebat, si nos ciuesque nostros insigni quadam laisseret offensa. Hac omnia ea animi equitate tulimus, ut nemo se Regi vestro in amicitia prælatum possit dicere, semper id, quod nunc casus offert sperantes. Quod si longius fata distulissent, non tamen nos penitusset quæque duriora preferre propter Regem & ipsi adesse, inimicis obesse existimassemus decorum. Aduentus gratus est & optatus, quem pro virili nostra conabimur (licet in se sit luculentissimus) augustiorem reddere, urbem singulaque in ea contenta suo arbitrio subiicientes, & nos in suam offerentes potestatem.

*Ad Senenses Oratio vlt.**Maii.*

DECLARATVR breuibus Regis nostri voluntatem & nostri aduentus causam, hoc vos, Praesides huius inclytæ urbis, rogamus, ut patiamini Regis nostri copias per vestra castella deduci, ut ipsis pacifice venientibus tranquillus sit aditus, securus discessus. Non ciuem, non municipem, non colonum offendant. Ultra ea Regis est animus, ut omnia quæ ipsis venduntur soluantur ad vinciem: Quod si quis non fecerit, sentiet se Regis indignationem & sui corporis penam incurrisse, quam maximo cum malo diluet & exsoluet. Præterea optat maiestas Regia vt frumento, quo maxime abundatis, alatis copias. Nam sicut horreum Romanorum Sardinia & Sicilia fuerunt; sic in nece-
-ni cessitate hac vestram urbem Serenitas regia elegit; Cui si ex fide affueritis, cumulatius olim tanto-
rum meritorum fructum
refundet.

RESPON

B

RESPONSI O

Senensem.

IVXTA desiderium Regis vestri, pollicemur transitum copiarum suarum, tutum fore & securum; Frumenta ad usum necessaria, sumus precio vendituri; gratuita namque contribuere, nec ex re sacri Imperii, (cui subesse nos fatemur) nec ex fide nostra esset. Vettigal enim pendere, subiectio nis est signum. Et cum nulli praeterquam Cæsareæ Maiestati subsistens, eo inscio quicquam polliceri, sicut in se esset infructuosum; sic nobis dishonestum. Horrea alibi Rex vester quareret, nec in messem alienam imimitetur falcem. Imperio namque serentibus, eidem metere conuenit & æquum est.

A D

ALEXANDRUM SEXTUM

*Pontificem, Oratio Legatorum Caroli**Francorum Regis. 12. Iul.*

SÆPE Oratoribus, saepius literis, te apud, Alexander Sexte, sollicitauit Rex noster, quod annueres auxilioque esses, ut Regnum suum Neapolitanum (quo iniuste eum spoliant Reges Arragonum, eo que in hunc usque diem, contra ius fasque & honestum potiuntur) consequeretur. Credebat te tam licitis suis desideriis obtemperaturum, & id agere ne Christiani principes bello implicarentur. Sed cum plane videat se omnia surdis auribus cecinisse, ferro decreuit curare vulnera, que non sentiunt beneficia medicinæ: Nosque iterum ad te misit præcipiens, te admoneremus, vt S. sua voluntati non incautius reluctaretis: Quod si non possemus persuasionibus apud te efficere, vt tibi & tuis denunciaremus bellum; quod Regem nostrum non minori animo, quam nos denunciamus, gesturum confidas. Nec tibi persuade, cam genteim, quæ florentes Romanorum res sape periclitauit & subuertit, urbem hanc

diruit, populi orbem terrarum domini iniuctum exercitum fudit, deuicit Lucium Papirium, Torquatum, illustres Fabios, cæterosque præstantissimos belli duces, pusillanimes Sacerdotes (qui mollicie & deliciis insueti, bella timent) reuerituram. Potesne speraret & effæminatos tuos complices, posse contueri explicatos regis nostri ordines? quorum cōgressum Camillus, Marcellus, Fulvius & Africanus ipse Scipio exhorrefecerent? Quid dixerо si manus conserere incipient? quid si iaculis eminus, cominus gladiis res gerentur? quid, inquam, si insita gentis more ferocia quemlibet obuium prosteruent? passim mortes mortibus accumulabunt? cadaueribusque cadentium explebunt aceruos? hocne viri illecebris dediti, inter exoletorum scortorumque gregem enutriti, perferent? Tu crede, non primum sustinebis tumultum, votisque Deos venerabere seris, tunc cum omnia perstrepare armis cernes, pacem sæpe tibi oblata petes, quam non daturus est aliquis, aut ullus conditiones eius auditurus. Quare protestamur, volumusque omnibus Christicolis palam esse, Regem nostrum non contra Ecclesiam, quam sanctissime colit, humiliter reueretur, sed contra te, tuamque obstinatam petulantiam, arma moturam. Bello itaque te accinge, quoniam pacem perferre non potuisti.

R E S P O N S I O

Pontificis.

SEdulo legimus, multoties audiuimus, legatos I. G. tutos esse debere; quod ni sciremus à priscis obseruatum & transfusum ad hæc nostra tempora, iam scelestam linguam, quæ tot nos iniuriis laceffuerit, fauibus faceremus euelli vestris.

Sed vincet modestia, humanitas nostra, vestro errori consulet & auxilio erit. Nam longe pulcrius nouimus scipsum vincere, motusque animi reprimere, quam de hostibus reportare triumphum, quod hodie facere in animum inducemus, ea tamen lege, ut posthac verbum dicatis nullum nobis contrarium; alioquin stulticiæ vestræque & proteruitatis congruentem pœnam cum

GALLICANA.

17

cum fœnore reportabitis. Minas flocci facimus, scientes hoc natura vobis insitum, quod ventosi tumidiq; satis, omnia agentes virilius verbis quam opera. Nam quod fortia recensetis maiorum facta, turpius vobis est quam honestius, & plus dedecoris quam decoris in se habet. Nihil enim ab his quam nomē accepistis, gloria, fama, honor, & virtus cum ipsis exprimere, & tumulis sunt inclusa. Gallos quis vos fuisse, recte dixerit, nunt effector galinas, si maiorum magnanimitatem, vestram socordiam & torporem consideret. Sicut enim Camilli apud nos esse desierunt, sic & Brennus apud vos inuenietur nullus, nisi quis crapula, gula aut libidine gloriam quæsierit. Quibus vos maxime artibus præcelere, constat & clarum est: in pace tumultuosī, in bello segnes, verbis magnifici, facto ignavi. Si enim Rex vester ad nos venire decreuit, non dehortamur quo minus faciat. Nusquam namque legitur diuturnam vestræ gentis victoriam fuisse, quæ semper turpius victa est, quam gloriose vicit. Vos nec vincere nec vti victoria scitis, in eo maxime à parentibus differentes, quod isti vicere aliquoties; Vos nec vincitis, nec hostibus incutitis terrorem. Proni venite modo; quod quatriiduo venientes expletis iter, vno die fugientes perficietis, nec prius a cedentibus manus continebimus, quam ad internectionem deleri omnes sitis, &c. Furentem ira, pluraque & atrociora conantem dicere, circumstans Cardinalium cætus precibus deliniens, ceptō mōvit.

AD VRSINOS

Oratio.

TANTAE bonitatis est Rex noster, vt quemlibet vel inimicissimum ad amicitiam hortari non posthabeat. Sic nos ad vos misit, spectabiles Vrsini, præcipue ad te, Virgili, qui sicut caput es gentis, ita periculo propior, vel (si resipueris) utilitati vicinior; rogatque non Regem Neapolitanum (qui titulo caret fraudulenter potitus possessione) ci^o vero, legitimo & naturali regi in amicitia anteferatis. Hoc toti vestræ genti amplif-

C

LEGATIO AD

sum erit, & fructuosum; Totum namque Capuanum Ducatum post victoriam (quæ haud segnis erit) vobis gentique Vrfinorum daturus est, quem consequi Regis pietate, vestra opera & virtute consultius erit, quam omnia a maioribus parta obstinatus amittere & vestram gentis videre interitum graue vobis erit cum augmentum oculis proponent.

RESPONSI
O Vrfinorum.

CONSILIVM. vestrum non reprehendimus ut intutum, nec Regis pietatem incusabimus; sed sicut gloria ei est, condonare iniurias, ignoscere errori, parcere inscitia; sic nobis non in postremis laudum numerabitur, non minus sancte exoluisse quam fideliter obstrinxisse fidem. Reginos Neapolitano adhuc certum est, nec prius deserturos quam forores vita nostræ præsciderint stamina. Quæ nostra fides sicut Neapolitano Regi erit accepta; sic Regi vestro pro sua prudentia, non debet esse ingrata. Nihil enim scelestius, nil flagitosius ingratu homine; à quo vos vitio (cum multa insignia Neapolitani regis in nos extent beneficia) penitus volumus alienos, morisque honeste, quam viuere turpiter satius erit.

AD

FERDINANDVM ARRAGO-
nia & Neapolitanum Regem Oratio,
habita 26. Iulii.

IURE gentium est institutum, ut bella per feciales populis Regibus & Principibus (qui hostes essent) indicerentur. Sed cum te non fugiat, Ferdinande, Christianissimum Galliarum Regem hostem tibi esse, perpetuoq; futurum quoad non cesseris possessione regni sui, quod contra ius falsque violenta manu usurpatum

Vltra

Vltra ea te non fallit quam iniurias sis tuis , quam à populis circumiacentibus detesteris, quam in superpotenti manu , forti & præcelso brachio contrate Carolus Rex noster veniat, vt non , si summum Iouem habueris propicium aut Martem adjutorem, consulere rebus tuis possis. Ex retua esse censemus ut clementiam venientis quam iustum itam vincentis, experiaris. Fortassis si te supplex sibi submiseris, si pronus genua amplexaberis, veniamque rogauefis , aliquæ possint inueniri pacis conditiones, quæ suæ maiestati non nocituræ sint, tibi vtiles. Aut enim regni tibi date posset partem, aut tributo imposito, toti præficere. Resistendi spes nulla est, venia aliqua; quam si non petieris prius quam copias adduxerit, posthac nequicquam implorabis. Rara enim parta victoria deseritur, sperata aliquando conditionibus immutatur. Quanti igitur sit momenti submissio, Massinissa exemplo esse deberet, qui exutus regio decore, fama, & fortunis omnibus per Romanos (quorum antehac inimicus fuerat) restituitur ; à quibus veniam supplex rogando eo usque creuit , vt nullus ei Rex ex coætaneis veniret & quandus. Porus, videns res suas vergere ad occasum, viatori Alexandro detulit, a quo omni immunitate donatur; quod si vites suis et expertus, Dario similis occubuisse misere, aut exulasset in ænum. Quid de Antiocho, quid de aliis Regibus dicemus, qui id præsidii inuenierunt inermes supplices, quod sperare armati non potuissent; Quorum si exemplis inniteris, prudenter rebus tuis consules. Quod si non feceris, iam vaticinamur, te casurum, vt nullus ex posteris tuis extollat caput. Non enim si omnes Auloniaræ copias contraxeris, Regi nostro poteris resistere , qui tanta est militum virtute circumcinctus, tali vallatus præsidio , vt ne saevis Hannibal, durus Hector, aut immritis Achilles ei possent obsistere. Quare unum fac è duobus, aut regno sponte cede, aut ora veniam, quorum alterum ad minus vitæ tuæ consulat. Quæ si omiseris, nec fuga tibi expedita erit, nec resistendi copia; Et sero laudabis consilium nostrum, & tibi imprecabere.

LEGATIO

NEAPOLITANI REGIS

Responso.

FACESSITE hinc omnium mortalium flagitosissimi, cum funestis vestris & sceleratissimis consiliis. Vix enim nobis imperamus, ut à vobis abstineamus manus, aut mille vos subiiciamus tormentis. Tantum enim petulantia lingua effuditis scelus, ut præter ius gentium vitæ vestræ nihil consulat. Vos ne suadere audetis, eo nos regno cedere, quo nos omnes Christiani Principes (vel Dii ipsi irati) spoliare non possent? Creditis nos vestri esse similes, qui omnia fortiter incipitis, ignauiter perficitis? magnum discrimen inter Italos, Gallosque, ipsa natura voluit, quæ alios ad acquirendam gloriam, ad amittendam cæteros progenerauit. Sicut namque Itali principio & rerum aggressu fortes sunt, mediis fortiores, fine fortissimi; sic Galli principio quandam magnanimitatis ostendunt speciem, quæ medio languet, fine consernescit: Et sicut in primo confictu, viros æquatis, vel ipsis estis præstantiores; sic foeminas durante prælio molliores. Nec confidite nos ob eam rem vos extimescere, quod glorianni vestros maiores subegisse Italiam, diruisse Romanam urbem. Nihil namq; conductit, parentum memoriam claram, filiorum deformem & spurcam esse.

Non enim non vincere daremus vitio, si id modo caueritis, vt vos non vinceremini. Sed quoties Britannorum Rex, Burgundiorum Dux, aliqui accolæ vos nostris temporibus vicerunt? qui etiam caput regni vestri Parisium corona cinxere, urbem presserunt grauissima obsidione, Regem mœniis includentes, quarum se altitudine est tutatus. Sed vetera fortassis nimis recensemus, quæ nostro tamen æuo euenerunt. Videamus quot Gallorum equites, à paucis admodum Diui Maximiliani peditibus, sunt deleti? Consideremus quot ex gentilitiis vestris, Albertus Dux Saxonum inclytus, submiserit orco, qui parua manutoties vos coniecit in fugam, tot de vobis reportauit trophyæ & egit

GALLICANA.

21

& egit triumphos ; hæcne sunt facta viris extimescenda ? hæcne gloria tanta pompa prædicanda ? Cum foemini vix possitis refi-
stere, viris vos speratis posse incutere terrorem ? Digni Sardana-
palo rege, cui sicut ignauia, molilitie & illecebris pares estis, sic a-
nimo inferiores. Proniagite, veniat regulus vester , cuius perso-
nam animi vestri aquant ; Et nobis pera est, quæ captum eum ex-
cipiet ; Vos cæteri scalis gemoniis addicemini , gulæ

singulorum laqueo infringentur, artus-

que collidet rotam

Impressum Lipczk per Melchior Lotter.

E D I C T U M R E G I S D E E X P E D I T I O N E S V A



A ROLVS Dei gratia Francorum Rex, vniuersis Christi fidelibus patentes (forte præsentes) litteras inspecturis, zelum Catholicæ fidei & salutem in Domino sempiternam. Considerantes attentius, & intra nostræ mentis arcana sæpen numero reuolentes innumerabilia damna & incommoda, cædes & strages, ac nobilium ciuitatum, & fidelium populorum desolationes & deuastationes, ac plurima alia horrendissima facinora, quæ spurcissimi Turci sanguinem Christianum incessanter debacchâtes à quinquaginta annis citra, vt à maioribus nostris profecto fide dignis viris dicimus, inhumanissime perpetrarunt: cupientesq; more progenitorum nostrorum, Francorum Regum Christianissimorum, tatis sceleribus, quæ ipsi perfidissimi Turci religioni Christianæ contine minantur, pro virib. occurtere, ac eorum sitibundam rabie totis conatibus reprimere, postquam placuit Altissimo in Regno ac Dominiis nostris suam pacem ponere, & illa tranquillitate potiri: proposuimus pro repellendo Tureorum eorum furore rabido, & recuperandis Terra sancta & aliis Dominiis, pet eos Christianis Principibus & populis, ablatis, propriis persona ac laboribus facultatibusq; non parcere. Quin imo dilectissimis uxore, ac vnico filio nostris, Regnoque amplissimo, pacifico & opulentissimo, etiam præter voluntatem Principum & Procerum Regni nostri relictis, statuimus cum adiutorio Dei, cuius causam amplectimur, ac Summi omnium Christianorum Pontificis & Pastoris, neconon Principum & aliorum Christi fidelium præsidio, hoc sanctissimum opus fideli deuotione & magno animo aggredi.

Quod quidem sanctum propositum diuina credimus inspiratione nostro cordi fuisse infixum: nec arbitretur quispiam, vt ad

EDIC. REG. DE EXPEDIT. IN ITAL. 23

ad occupandum quorūcumq; Principum vel populorū demī-nia, aut ciuitates opis hoc tam sanctum, tamque laudabile aggre-diamur, sed vt ipse Deus ineffabilis verus testis est, hoc solum ad eius laudem & gloriam, suæq; fidei & Christianæ religioni exalta-tionem & ampliationē amplectimur, sperantes in ipso Deo, à quo omnia perfecta opera perfectionem suscipiunt, nos hoc sanctum desiderium nostrum ad optatam effectum perducturos.

Sed quod Regnum Siciliæ, quod Neapolitanum appellatur, sepius per progenitores nostros à manibus infidelium, & alio-rum Romanæ Ecclesiæ & Apostolicae Sedis hostium eruptum, & eidem Ecclesiæ restitutum fuit, & de quo ipsi progenitores nostri viginti quatuor inuestituras, videlicet viginti duas à diuersis Roma-nis Pontificibus, & duas alias à duobus sacris generalibus Conci-liis receperunt; & quod ad nos iure hæreditariō pertinet. Quamvis Pius Papa II. volens suos ex humili plebe natos ad Principa-tus fastigium extollere, Regnum ipsum nostris contra iustitiam abstulerit, & illud quondam Ferdinando de Aragonia conces-serit, ad oppugnandum dictos perfidissimos Turcos præcipue per portum Valonæ, & nonnulla alia loca nobis facile ingressum præbere poterit, illud Deo opitulante intendimus recuperare, vt nobis & nostris facilis ingressus & egressus, ac tutum præsidium esse possit.

Nec intendimus propterea almæ vrbi Romæ, prout mo-dernus Alfonsus de Aragonia, & sui prædecessores, alias Alfon-sus & Ferdinandus, magna temeritate & rebellione eam obsiden-do fecerunt: aut alii terris Romanæ Ecclesiæ præiudicium ali-quod seu damnum inferre, sed illam & ipsius Ecclesiæ subditos pro illius & Apostolicae Sedis honore & reuerentia, ab omni da-mno & iniuria pro posse nostro illesos conseruare, more dicto-rum progenitorum nostrorum, quantum cum Deo poterimus, potius adaugere.

Quia vero pro dicto Regno recuperando, & nostro sancto proposito exsequendo, pro facilitiori & breviori via ad Vrbem prædictam veniendo, per nonnullas terras dictæ Ecclesiæ transiit sit nobis faciendus, Sanctissimum in Christo Patrem & Dominū Dominum Alexandrum diuina prouidentia Papam Sextum, ac

24 EDIC. REG. DE EXPEDIT. IN ITAL.

Sacrosanctum Romanæ Ecclesiæ Collegium, necnon quarumcumque ciuitatum, oppidorum, terrarum, & locorum eiusdem Romanæ Ecclesiæ Refftores, Gubernatores, Potestates, Officiales, ciues, incolas & habitatores quo scumque in Domino requiri mus, & hortamur, & obtestamur, saltē, quemadmodum hostibus nostris, & in hoc sacro proposito nobis aduersantibus, fauores & auxilia, quæ potuerūt, præstiterunt, & præstāt, ita nobis & nostris liberum ingressum & egressum per ciuitates, oppida, terras & loca prædicta, ac viuctualia necessaria nostris sumptibus & expensis exhibere dignentur. Nisi enim nos in hoc salubertimo opere impediuiissent, credimus iam urbem Neapolim & magnam Regni partem expugnasse; & in principio veris proxime futuri fines hostium ingredi potuisse.

Si vero ingressus & egressus, ac liber transitus, & victualia, nobis & nostris soluendo debita precia, fuerint, quod non credimus, denegata, nihilominus conabimur totis viribus meatum inuenire, & capere, & victualia necessaria, quibus poterimus mediis, protestantes solenniter de nobis, ad culpam non debere imputari, sed potius illis, qui perfida iniuritate de fide nostra non recte sapientes, nostrum pium & sanctum propositum voluerint impedire.

Protestamur insuper de iniuriis Deo & nobis faciendis, dannis quoque & interesse per nos propterea iam incursis, & si que in futurum incursum fuerimus. Quas protestationes prosequimur coram vniuersali Ecclesia, ac Principibus totius Christianitatis, quos conuocare intendimus pto hac sanctissima expeditio- ne Deo duce feliciter adimplenda.

In quorum omnium fideim patentes literas fieri, & per Notarium publicum subscribi & publicari, nostrique Regalis sigilli appensione muniri fecimus. Datum Florentiae, die 22. mensis Novembris, Anno Domini MCCCCXCV.

sis Nouembris, Anno Domini MCCCCXCV.

& Regni nostri xii.

Ad 1248

ULB Halle
005 126 509


3



VD 77

h. C.

Farbkarte #13



ATIO CANA

ONE ITALICA
n Caroli VIII.

*ROMANVM, REGEM.
Liberas Ciuitates Italie.*

*S REGIS DE BELLO
in inferendo, & recuperando
Imperio.*

re edita ex Bibliotheca

E LIS SCHNEIDERI
Megalopolitani Consilia-
ci Vinariensis.



*O VIÆ
Ioan. Aubrii.*

XIII.

053